

Disputatio medica inauguralis, de catarrho epidemico vel influenza, uti vulgo appellatur, prout, in India Occidentali, sese ostendit. Quam... : Eruditorum examini subjicit / Andreas Huggan, Scoto-Britannus.

Contributors

Huggan, Andrew.
Bland, R. 1730-1816.
Merriman, Samuel, 1771-1852.
University of Edinburgh.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1793.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/y534xjwe>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CATARRHO EPIDEMICO.

Българската народна литература
във възхода си. Томътъ

— II —
— Народното изкуство

— Съчинение на професоръ Г. Симеоновъ

DISPUTATIO MEDICA

СЪДЪДОВА СЪМНЕНИЯ

ИЗУЧАВАНИЯ

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S,

D E

Catarrho Epidemico, vel Influenza,
uti vulgo appellatur, prout, in In-
dia Occidentali, fese ostendit.

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E,

E x Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ Praefecti;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I consensu,

E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ decreto,

P R O G R A D U D O C T O R I S,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S

R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S;


E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

A N D R E A S H U G G A N,
S C O T O - B R I T A N N U S.

A d diem 24. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:
Apud B A L F O U R et S M E L L I E,
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s.

M,DCC,XCIII.



ам Янка омеляні
жити від села до міста
така жити в місті
як і в селі, як і в місті

млю

зимою симиз атици
зимою не від села не в місті

я та його брати змієві
я та його брати змієві

кою х

зимою да змієві
зимою да змієві

зимою да змієві

зимою да змієві
зимою да змієві
зимою да змієві

зимою да змієві
зимою да змієві
зимою да змієві

зимою да змієві

зимою да змієві

зимою да змієві
зимою да змієві
зимою да змієві

зимою да змієві

Avunculo suo honorando, dilectissimo,

G U L I E L M O K E R R, M. D.

Qui, multos per annos,

Artem Apollineam,

Cum successu prosperrimo,

Apud Northampton,

Exercuit,

Hasce studiorum primitias,

Ut monumentum

Animi, beneficiorum ab illo acceptorum,

Haudquaquam immemoris, exiguum,

D. D. CQUE

A U C T O R.

DISPUTATIO DE FEGATA

IN AGOESTE

ANNO 1654.

CUM RECENSIS TRIBULATIONIBUS

CATARACTA EPISTEMIC

THEATRUM

ANERA HUGO

HABITACULUM

ONIANI LEGE IN AFRICANIS SUE
SP. HUODONIA. GENTILIA. M. 170.
MOLIS SUPPISTICE. DROGILLUM. P. 171.
MEA INSTITUTAE. EXCE. V. 172.
Q. C. ST. I. 173.
S. BELLUM. B. 174.
Q. T. 175.
Q. A. 176.
Q. B. 177.

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

CATARRHO EPIDEMICO.

Auct. ANDREA HUGGAN.

QUONIAM leges hujus Academiae almae
ab unoquoque, summos in medicina ho-
nores ambiente, quoddam suae scientiae speci-
men inaugurale exigunt; quasdam observationes
de Cattarrho Epidemico vel Influenza, uti vulgo
appellatur, prout, in India Occidentali, sese ostendit,
in lucem edere decrevi. Aliquot annos in
insula Antigua sum commoratus, ubi occasio

A

hunc

2 DE CATARRHO EPIDEMICO.

nunc morbum videndi mihi subministrata est, praesertim uti sese apud nigritas ostendit, qui in omnibus insulis, in mari Charibaeano sitis, multo numerosiores, quam albi, sunt, et etiam, quam hi, morbis fere omnigenis, praecipue epidemicis, magis opportuni sunt. Nam nigrorum servorum, uti bene notum, officium est agros, sub sole ardente, excolere. Ii igitur caloris et frigoris alternis vicibus magis objiciuntur; diaeta minus nutriente, potissimum vegetabili, aluntur; plerumque male vestiuntur; in domiciliis minus commodis degunt.

Attamen morbis multo minus objicerentur, si, apud eos, non invalescerent aliquot mali mores; etenim meridie, quo tempore a labore requiescunt, et madore saepe diffluunt, semet in aquam frigidam immergere solent; et foeminae quoque idem faciunt, menstruis provenientibus.

Mos eorundem frequens et nocivus est, post laborem,

laborem, per spatium diei, gravem, complura
passuum millia noctu ambulare, uti loca, ubi sal-
tatio, qua magnopere gaudent, concelebratur,
attingant; et hac oblectatione defatigati insom-
nes iterum ad pensum quotidianum absolvendum
redeunt. Multi quoque ebriositate, venere prae-
matura et immodica, admodum debilitantur; et
omnes fere, ut saepenumero notavi, somno bre-
viore justo fruuntur, tempus, ad medium usque
noctem, immo multo serius aliquando, desidia,
aut hilaritate clamosa, consumentes, saepe sub
dio, et, e somno excitati, ante horam sextam vel
quintam matutinam, postridie ad opus diurnum
prodeuntes.

Multi quoque, labore admodum fatigati, et
forsitan eodem tempore exudantes, huius decum-
bunt, et ibi in somnum illabuntur. Plurimi
quoque inediā, diutius justo, quod admodum
nocivum est, ultiro pertinaciter tolerant.

Deq. De aliis non in tempore anulatu. Non

in modis

Non igitur, supradictis rite consideratis, mirandum est, cur morbis epidemicis, et inter alios huic febri catarrhalii, quotiescumque epidemice graffatur, maxime obnoxii sint servi nigri insularum Indiae Occidentalis.

HISTORIA MORBI.

De sensu frigoris inusitato fere semper primo queritur aegrotus, cui accedunt languor, lassitudo, et alia debilitatis universae signa. Haec cito excipiunt horrores, cum sensu cutis totius molesto, et capitis, praecipue frontis et oculorum, dolore vel plenitudinis sensu, aliquando vertigine. Pulsus primo parvus, nec naturali magis frequens; at cito plenus, mollis, et celer evadit, raro, fortasse nunquam, durus. Respiratio difficultis sit, pectoris doloribus et stricturae sensu stipata. Adebet quoque tussis, initio sicca, molesta, dolores capitis et thoracis saepe multum adau-

gens;

gens; intra breve spatum vero gradatim humi-
dior evadens, cum expectoratione copiosa, ali-
quando cruenta. Plerumque, at non semper,
raucescit vox, cum tracheae aspredine et dolore,
nec non angustiae faucium sensu ingrato, et quo-
que deglutitione difficulti, et aliquando cynanches
tonsillaris signis. Anxietas circa praecordia ur-
get. Nares infarciuntur, cum stillicidio fluidi
tenuis, acris, et sternutatione. Haud raro tu-
met facies; inflammantur et lachrymantur ocu-
li. Calor cutis non insignis est; attamen ple-
rumque deficit appetitus, et nonnihil sitis oritur;
lingua humida et albida est.

Intra breve spatum, ab initio morbi, nonnun-
quam queritur aegrotus de nausea, cum vomi-
tu plerumque bilioso.

Alvus saepe adstricta est, saepe naturalis. Uri-
na parum mutata est, raro rubra. Pyrexia fere
semper remissiones matutinas habet; noctem ver-

sus exacerbatur. Somnus vero, adeo exoptatus, aegrotum, huc et illuc semet jactantem, fugit. Delirium quoque, in nonnullis exemplis, invadit.

Sanguis detractus et concretus eandem, quam in phlegmasia, speciem fere praese fert.

Hic morbus plerumque, intra paucos dies, finitur. Raro ad quintum vel etiam quartum protrahitur. Ad finem perducitur vel sudore copiose profluente, expectoratione viscida, vel eruptione scabiosa circa os naresque apparente. Tunc aegrotus, debilitate tamen insigni, quam morbus nunquam non inducit, et tussi, postquam alia signa deceperunt, magis minusve molesta saepe diu manente, convalescit.

Haec forma regularis et usitatissima est, qua catarrhus in India Occidentali epidemicus aliquem invadit. At symptomata saepe vel initio,

vel

vel progressu, vel etiam sub morbi finem, admodum varia et irregularia sunt.

In nonnullis exemplis, laßitudinem tantum conqueritur aegrotus, cum tussi parum molesta; alias tussis sicca, cum febre leni, et doloribus in epigastrio, et musculis abdominalibus, morbum designat.

Signis vero supradictis haud raro alia adjiciuntur, nempe, pneumonica quae aegrotum aliquando adoriuntur, ineunte morbo; sed saepe non ante diem secundum aut tertium, seriusve aliquando.

Nonnunquam sine signis pneumonicis, at saepe simul cum his, accedunt dolores, rheumatismi proprios referentes, artus, collum, dorsumque tenentes. Interdum subito corripitur aeger omnibus hujuscē morbi signis, cum summa virium prostratione, et etiam cum delirio.

Nonnun-

Nonnunquam, praesertim in grandaevis, hic morbus, sine ullo febrili signo, appareat; tantum queritur aegrotus de doloribus thoracis obtusis, respiratione diffcili stipatis, pulsu, quam sanitate substante, tardiore. In his quoque signa peri-pneumoniae nothae saepe superveniunt, morbo sub forma admodum miti semet ostendente; et hoc modo fere semper rapitur aegrotus aetate proiectior.

Sub omnibus hisce formis hunc morbum vidi, at aliis signis stipari memoratur; diathesi putrida, nempe, quae sub forma cynanches malignae quoque sese ostendit. Hepatitis vero hunc morbum interdum comitatur; et exemplo in uno accessit Tetanus *.

D I A G-

* Vide Observations on the Influenza, as it lately appeared in the West Indies, by Mr Charles Chisholme.—Medical Commentaries, anno 1790, p. 353.

Vide quoque Mr Lindsay's letter to Dr Monro.—Medical Commentaries, anno 1792, p. 521.

D I A G N O S I S.

Hic morbus a multis aliis pyrexiae generibus facile dignosci potest; attamen istum inter et nonnullos, quos maxime refert, discriminus cilius est.

Morbi praecipui, inter quos et Catarrhum epidemicum maxima intercedit similitudo, sunt Morbilli, Catarrhus a frigore oriens, Pertussis, et quoque Phthisis Pulmonalis incipiens.

I. *Morbilli*.—Cum hic morbus fere semper ab iisdem signis, a quibus influenza, incipiat, per aliquot dies alter ab altero difficile distinguitur; haec autem difficultas initio epidemici maxima est, praesertim si aeger correptus nunquam ante morbillis laboraverit.

In Morbillis autem sternutatio, quam in Catarrho epidemico, frequentior est; oculi pleniores et magis distensi sunt; major quoque anxietas et irritabilitas. At haec signa admodum dubia sunt; intra paucos tamen dies, vel papulae rubrae erumpentes, vel morbi decessio naturam epidemici plane ostendit.

Quaedam res, attentione non indignae, diagnosis nostram adjuvabunt. Catarrhus epidemius iis partibus cujuslibet insulae, praesertim in istis *Leeward* dictis, ventum versus spectantibus, fere semper primo apparet; vel in quodam portu, aut vicinia ejus, ad quem appelluntur naves e regionibus, ubi epidemice graffatur, se ostendit. Et si e pluribus, quos intra non longum tempus adoriri solet, quidam sunt, qui morbillis antea laboraverunt, diagnosis inde clarior evadit.

II. *Pertussis*.—Diagnosis, hunc morbum inter et Catarrhum epidemicum, facilior est. Ineunte pertussi,

pertussi, febris lenis vel nulla est; pueros et infantes plerumque, adultos raro, invadit pertussis; at contra illi ab influenzae impetu fere semper immunes sunt. Et quoque, si pertussi corripiatur aeger, brevi inspiratio, post tussiendi paroxysmos, sonora evadit, tussis ex intervallis reddit, et convulsiva fit. Praeterea, influenza sese longe lateque citius diffundit, quam pertussis.

III. *Catarrhus a frigore oriens*.—Fortasse nulla certa nota, sub initium, dignosci potest hic morbus a Catarrho epidemico. Accessio hujus vero magis subita est, complures eodem tempore invadit, et pyrexia primo plerumque gravior est, et progressus semper celerior.

IV. *Pthysis pulmonalis*.—Hanc inter et Catarhum epidemicum diagnosis non admodum necessaria est. Hic subito invadit; illa tarde et obscure; decursus hujus quoque intra paucos dies finitur, tussi gradatim decedente; tussis con-

tra in illa siccior evadit, febris ingravescit, et, intra non longum tempus, in regione calida saltem, accedunt dyspnoea gravior, decubitus in latus difficilis, et alia signa, quibus pro certo a Catarrho epidemico secernitur phthisis pulmonalis.

C A U S Æ R E M O T Æ.

Quanquam hic morbus semper a contagione specifica oritur; haud dubie tamen quaedam sunt feminia vel causae praedisponentes, uti vulgo vocantur, quae corpus actioni ejus magis opportunum reddunt. Hae causae praecipue sunt debilitas, a morbis praeeuntibus, praesertim pneumaticis et catarrhalibus, vel hydrargyri usu diu continuato, proficiens; diaeta parca cum labore gravi; evacuationes profusae; mensium aut perspirationis suppressio; corpus saltatione vel ebrietate nimis calefactum et frigori nocturno objec-

tum;

tum; venus immodica; jejunium; pervigilium aut pernoctatio sub dio; ebriositas, et omnia alia, quae corpus debile et irritabile efficiunt. Inter quae forsitan enumerari debent pathemata animi deprimentia. Haec vero apud nigritas raro causae sunt morborum.

Causa hujus morbi excitans praecipua contagio specifica est. Hanc rem ita sese habere, nunc, apud omnes, constare videtur. Effectus hujus contagionis abunde manifesti sunt; namque cito se longe lateque diffundit; at, in quam orbis terrarum parte, aut quo tempore primum sese ostendat, ignoramus. Modus operandi quoque in tenebris latet; hoc vero, ut mihi videtur, compertum habemus, certum atmospherae statum viribus contagionis omnigenae promovendis omnino esse necessarium.

Quia haud raro apparent morborum, pro certo contagiosorum, exempla sporadica, ut variolae,

iae, scarlatinae, &c. qui vires suas noxias, nihilominus, aëris statu modo posito non substante, neutiquam diffundunt.

Utrum haec contagio catarrhalis statu isto aëris, qui actioni ejus favet, generetur, an in aliqua atmospherae parte semper fluitet, non pro certo novimus. Hoc tamen evidentissimum est, cum primum apparuit, modo admodum mirabili, in oppido aut vico, ubi primo sepe ostendit, epidemice graffari. Non diu vero ibi manet; sed brevi ad proximum migrat. Quinetiam homines hanc contagionem, a locis affectis, ad vicinos huc usque sanos, secum afferre solent; et hoc modo morbus, saepe in pluribus cujuslibet insulae vel regionis locis longe distantibus, eodem tempore appet; et eodem modo quoque ab insula una ad alteram devehitur.

Quantum ad naturam specificam attinet, mutatione coeli qualibet non mutari videtur; at eundem

eundem morbum inducit, et hoc saepe, sine frigoris, aliusve causae sensibus percipiendae ope, praestat. De aëris statu singulari, qui hujuscem contagionis actioni favet, nihil pro certo novimus; sed haud dubie frigus, humori adjunctum, operationem ejus insigniter promovere videtur. Namque morbus plerumque sese in conspectum dat, sub exitum tempestatis pluviosae mense Octobris, vel alioquin mense Novembris et Decembris invadit, quod anni tempus reliquo plerumque frigidius est, et saepe imbribus non caret.

CAUSA PROXIMA.

De hac non opus est multa differere; nam ex signis antea memoratis plane constat, statum membranae narium, faucium, et bronchiorum, mucosæ, morbidum induci, ex quo fluxus fluidorum ad hasce partes augetur. Glandulae majus minusve irritabiles sunt, et mucus, inde excretus,

tus, tenuis et acris est, et membranae bronchiorum, &c. gradum inflammationis lenem saepe infert. Utrum haec contagio hunc statum membranae mucosae morbidum procreet, directe partibus affectis applicata, an prius vasa superficie constringendo agat, et, cursum humorum inde ad fauces et bronchia vertendo, hunc morbum excitet, me latet. Quomodocunque vero agat, morbum semper ejusdem generis, et a catarrho a frigore oriente, et ab omnibus aliis, specifice diversum, edit.

RATIO SYMPTOMATUM.

Inutile foret omnium symptomatum, hoc in loco, rationem reddere; quia pleraque ex iis nequaquam obscura videntur. Praecipua tantum, judicio nostro, explicationis indigent.

Capitis dolor vel plenitudinis sensus a cursu
fanguinis

sanguinis nimio, idem versus facto, et vasa sanguifera distendente, et irritante, oritur. Ab hac causa quoque pendere videtur oculorum inflammatio et lachrymatio. Forfitan quoque sanguinis difficilis, ob transitum ejusdem per pulmones plus minusve impeditum, a capite reditus signum modo posita, praecipue priora, non minus apte exponere potest.

Quinetiam facies tumida forsitan hanc aut illam explicationem, ex aequo, recipere potest.

Respiratio difficilis ab impetu sanguinis per pulmones adaucto, et a tunica tracheae interna per fluxum humorum nimium, ad eandem factum, vel per inflammationem, distensa et angustata proficiscitur.

Nares infarctae a membrana sua, per easdem causas tumefacta, ortum deducunt.

Sternutatio ab acri muco hanc membranam irritante profluit.

Muci bronchiorum excretio copiosior ab impetu sanguinis nimio, membranam suam versus facto, et glandulas irritante, pendet.

Tuffis excitatio ab acrimonia muci, qui quantitate insolita fecernitur, et naturam acrem, vel a morbi ipsius indole, vel a mora, sibi adipisciatur; et igitur membranae faucium et bronchiorum mucosae stimulo constanti est, oritur. Duratio ejus nimis diurna, a causa modo posita, diutius manente vel parum levata, pendet. Materiam vero peccantem tollendi consilio motum muscularum, qui respirationi inserviunt, convulsivum excitare videntur vires naturae medicatrices.

Raucedo ab ejusdem membranae tumore, vel ab inflammatione et a quantitate muci quoque infolita,

insolita, quae vim partium elasticam imminuunt,
omnino pendet.

Vomitus, plerumque biliosus, morbi initio ori-
ri potest ab eo, qui ventriculum inter et vasa su-
perficie i intercedit, consensu, qui, his constrictis,
facit, ut atonia illius inducatur et vomitus
excitetur: Si hic vero diutius perstabit, ductus
biliferi, conatu rejiciendi tandem, et motu peri-
staltico inverso, quasi emulgentur, et bilis ge-
nuina magna quantitate exantlatur. Ad hoc
faciendum multum quoque confert vis regionis
calidioris. Haec autem bilis secretio, nimis co-
piosa et morbida, nonnullis in hominibus, ibi de-
gentibus, perspiratione suppressa, in modum ve-
re mirandum semet ostendit.

P R O G.

P R O G N O S I S.

Hic morbus, sub forma regulari et maxime usitata, raro diuturnus aut periculosus est, praesertim si junior sit aeger, et antea sanus.

Febris, initio lenis, post remedia idonea adhibita, vel sudorem sponte prorumpentem, lenior evadens, eventum morbi felicem portendit. Eventus faustus sperandus, cum appetitus cibi reddit, vel ab initio usque non multum fuit diminutus. Respiratio facilior reddita, cum tussi minus molestia et sputo copiosiore et crassiore, praesertim si sponte oriatur sudor universus cum eruptione circa os naresque scabiosa, finem optabilem promittit.

Contra vero, cum morbus initio neglectui habetur, vel imperite curatur, praesertim si, ob duciam

duciam juventae firmitatisve corporeae, frigus parum cavit aegrotus, signa violentiora evadunt, vel alia, haud parum periculi prae se ferentia, saepe accedunt. Eventus infaustus nunquam non timendus, cum remediis, mature adhibitis, non levatur morbus, cum signa febrilia tam sae- viunt, ut sanguinem semel iterumque detrahere necesse sit. Respiratio difficultis persistans, et tussis sicca et dolorifica, cum stricturae pectoris sensu, morbum malum denotant. Quandocunque pneumonia hunc morbum comitatur, vel, si per decursum ejus et post sanguinis missionem, accedit, cum calore adauēto, pulsu frequente, et valido, spiritu difficulti, et aliis diatheseos phlo- gisticae universae notis, periculosissimus haud dubie finis est futurus.

In periculo quoque versatur aegrotus, cum diathesi putrida stipatur morbus; nec non si huic adjuncta fuerit hepatitis aut tetanus.

Catarrhus

Catarrhus proiectiores aetate, fenes potissimum, invadens, et cursum humorum ad pulmones faciens, peripneumoniam notham excitare haud parum periclitatur, quae excretione e bronchiis humoris serosi quantitatis, praeter consuetudinem subitae et magnae, aegrotos saepe rapit.

In grandaevis quoque, cum morbus sine signis febrilibus accedit, at doloribus thoracis obtusis stipatur, ne morbus ad finem funestum perducatur periculum est. Namque haec ejus formavires vitales defecisse significat. Et metus non deesse videtur, ne bronchiis, nimia muci quantitate onustis, stranguletur aegrotus.

METHODUS MEDENDI.

Cum hic morbus, ut saepissime incidit, lenis est, regimine idoneo non raro sanari potest. Sufficiet,

ciet, si adversus frigus tutus sit aeger, a cibo animali et potu stimulante abstineat, nec intemperate se exerceat.

Rebus ita fese habentibus, diluentibus utatur, et ad pristinum laborem gradatim redeat. Cum morbus vero violentior est, medicina, eaque mature adhibenda, opus est.

Confilia medendi tria sunt; viz.

1. Diathesin phlogistica tollere.

2. Congestionem humorum in membrana nasalium, faucium, et bronchiorum mucosa immunuere.

3. Irritationem, ab acrimonia muci orientem, sedare et compescere.

Quantum ad primum consilium attinet, non
folium

solum regimen antiphlogisticum, morbo graviore, stricte adhibendum est, sed etiam varia remedia necessaria evadunt, et in usum revocanda.

I. *Sanguinis missio*.—Haec in catarrho epidemic exquisito; nullo alio morbo phlogistico comitante, ut mihi persuasum est, raro necessaria, in multis exemplis non etiam tuta. Curationem saepe tardiorum reddit; cum vero diathesis phlogistica maxime urget, praecipue si adsit pneumonia, et aegrotus junior plenusque sit, pulsus pleni validique, praesertim si duri, cum summo fructu mitti potest sanguis. Ad hoc remedium tamen non sine maxima cautela semper decurratur, et reiteratione ejus fortasse numquam opus est. Aliter vero sentit Lindsayus, uti e literis ad Monroium hujus Academiae Professorem permagnum, appareat; namque ibi asserit, se cum successu prosperrimo sanguinem iterum iterumque detraxisse. Apud nigros fer-

vos Indiae Occidentalis vero, praesertim si vic-tum vitamque spectemus, morbos raro offend-e-mus, in quibus feliciter, vel etiam tuto, adhiberi potest hoc remedium. Hic pretium operae erit notare, missionem sanguinis, quasi panaceam contra dolores certo in loco inherentes omni-genos, in usu frequente apud eos esse; sed haud raro observatum fuit, hosce dolores ex usu ejus imprudente magis fixos evasisse, nec nisi epis-pasticis et sudorificis postea removeri potuisse. Idem quoque de intempestivo ejus usu in febribus remittentibus a multis animadversum fuit.

Hoc in morbo, medici, gravitatem capitis thoracisque dolorem, una cum aliis signis febribus, spectantes, ad sanguinis detractionem in-caute configere periclitantur. Experientia edoc-tus tamen affirmare non dubito, eam non tan-tum morbum protrahendo, sed debilitatem, sae-pe periculosam, faciendo, obesse magis quam prodeesse. Qui e servis nigris jacturam sangu-

nis tutissime possunt perpeti, ii sunt domestici et alii, qui plerumque aequa laute opipareque ac domini victitarunt, et laborem minime tam gravem tolerarunt, ac ii miserrimi, a quibus pensum quotidianum, foris absolvendum, ab inquisitore tetrico et severo exigitur.

Quantum vero lenitatem spectat, ea summa adversus Æthiopes miserandos, plerisque in exemplis ubique, et praesertim apud insulam Antiguam, in honorem generis humani et laudem, adhibetur.

Contra, ut missionem sanguinis, hepatitide vel pleuritide vera hunc morbum comitante, liberaliter adhibeamus, eandemque repetamus, monemur. Immo, ut nonnulli aiunt, fiducia praecipua in hocce remedio collocanda est. Caeterum, in exemplis hujusmodi, ubi non catarrhus, sed morbi periculosiores comitantes, potissimum sunt respiciendi, quorum curandorum omnia remedia,

media, quotquot sunt, necessaria in usum momento sunt revocanda; sanguinis missio in his haud dubie quam in illo, strictius accuratiusque depositulatur, in his omnino necessaria, in illo minus auxilii promittens, forsitan nocitura.

Quanquam mihi accidit, apud servos nigros, videre nonnulla pleuritidis verae exempla; sanguinis missionem tamen reiterare nunquam necessarium esse novi. Et detractio ejus, unica tantum, debilitate haud parva aegrotum saepe affecit. De hujus remedii, etiam in pleuritide, intempestivi usus periculo recte monuit vir clarus

Joannes Hunter *.

II. *Regimen antiphlogisticum.*—Hoc, in morbo graviore, praesertim in eo, in quo sanguinis detractione opus est, diligenter adhibendum est. Si vero debilitas ingens subsit, praesertim si ae-

grotus

* Vide Observations on the Diseases of the Army in Jamaica, by John Hunter, M. D.

grotus aetate proiectior sit, hac ex toto omissa, vires aegrotanti pauxillo vini generosioris spiritusve sacchari aquae adjuncto, juscumque e carne animali confectis, reficiantur et sustineantur.

III. Laxantia.—In catarrho epidemico curando, semper convenit alvum, per totum morbi decursum, solutam tenere, quo irritatio, a fodiibus in intestinis congestis oriens, tollatur. Febris quoque, et cursus humorum ad partes laborantes factus, imminuantur. Ad hoc confilium tamen minus accommodantur cathartica, quam laxantia, uti acidum vegetabile, sales medii, et similia, quibus apte adjunguntur antimonialia parvis dosibus, quae spasmodum vasorum superficie extreborum, quod summi momenti est in hoc morbo, simul relaxando, multum prodeesse possunt.

IV. Epispastica ad hunc morbum levandum non parum conferunt.—Quandocunque igitur respira-

tio difficultis est, dolores laterum urgentes, et praesertim si inflammatione affici videntur pulmones, ad epispaistica protinus decurrere convenit. Larga, et quam proxime ad partem affectam applicata, haud raro profunt. At usque eorum, in exemplis hujusmodi gravioribus, aliquid a Lindseio fuit objectum.

Afferit enim epispaistica applicata, calorem febrilem adaugendo, et alia signa intendendo, morbum pertinaciorem et periculosiorem reddere. Huic notioni non mihi est in animo ulterius obsistere, quam tantum notare, me nullum catarrhi exemplum, quamvis nonnunquam parum levaminis attulerunt, novisse, ubi, in catarrho epidemico, aegroto obfuerunt. In hoc morbo, semper tuto, et saepe cum fructu summo, adhiberi possunt. Et quandocunque ea depositulant dolores thoracis vel capitis, tam mature, quam fieri potest, applicentur opportet, sanguine, cum opus est, prius detracto, quam exulcerationem

facere

facere potuerunt. Non est cur metuas, epispasticā unquam multum nocere posse, vim stimulatricem in sistema universum diffundendo; namque irritatio, quam faciunt, loco tantum propria est, et partes remotiores minime attingit. Igitur, in hoc aliisque morbis inflammationem habentibus, dolores loco proprios, levandi causa tantum, debent adhiberi. Siquando, post ea admota, ictus arteriarum minus frequentes evadunt, et alia signa febrilia diminuuntur; hoc haud dubie praestant, irritationem loco propriam, quae febrim magna ex parte concitavit, tollendo. Utrum ut humores, in telam cellulofam effundantur, faciendo, et igitur spasmum vasorum profunde sitorum solvendo; vel irritationem majorem, quam quae a morbo fuit orta, excitando agant, non multum refert. Opinio vero posterior magis ad veritatem accedere videtur, et igitur, quam proxime partem laborantem applicari debent. Attamen exemplum minime rarum est, inflammationem, loco propriam, irritationem

tatione, quam epispaistica faciunt, esse majorem. Igitur partes laborantes parum levaminis inde accipiunt; et, in exemplis hujusmodi, partes ex-ulceratae brevi sanantur. Et hoc in morbo saepius semel notavi, dolores topicos, epispaisticis ante sublatos, una cum auctu febris vespertino, rediisse; et partes, quibus fuerant applicata, ex-ulceratas, mane ex toto fuisse exsiccatas.

Nunquam vero periculum, in doloribus loco propriis, habere; sed optime cedere expertus sum, irritationem cuticularem, epispaisticum novum parti laboranti viciniaeve ejus applicando, revocare. Et forsitan signa febrilia, post eadem applicata, manentia, vel etiam adaucta, cur obesse putarentur, in causa fuerunt. At imprimis est probabile, rem longe aliter sese habere.

Secundo consilio accommodantur remedia, quae expectorationem liberam promovent, et perspirationem

perspirationem restituunt, vel etiam adaugent.
Huic imprimis convenient:

I. *Emetica*, quae initio morbi saepe magnopere profund, ventriculum fordibus exonerando, et cursum humorum cutem versus faciendo. Et, cum vomitus spontaneus, ut nonnunquam accidit, supervenit, promovendus est aqua tepida sola, eave, in qua antimonii tartarisati portiunculae solutae sunt, vel florum chamomeli infuso, largiter haustis. Insigni modo glandulas faucium et bronchiorum emulgent emetica. Itaque ad muci excretionem promovendam non parum conferunt; et quoque inflammationem, cum subest, in partibus affectis imminuunt; nec non, ob consensum mirabilem ventriculum inter et cutem, perspirationi multum favent. Hoc praestant non solum vomitionem plenam ciendo, sed etiam nauseam tantummodo movendo, quod rationem exhalationi cuticulari restituendae idoneam esse nunquam non expertus sum. Formula

mula optima emetica exhibendi haud dubie est, antimonium tartarifatum, partitis vicibus, dare, donec effectum exoptatum, vel vomitionem plenam, si magis arrideat hoc, vel nauseam tantum edant. Eidem consilio quoque bene respondet pulverem ipecacuanhae simili modo praecipere. At nunquam, pro certo, ex experientia didici, pulverem Jacobi febrifugum, vel pulverem antimonialem Pharmacopoeiae Londinenfis, ad febrim leniendam, magis quam haec, esse accommodatum. Hoc autem silentio minime praeterudendum est, emetica vomitionis plenae ciendae, vel non efficaciter, vel non tuto, in usum revocari, cum gravis subest inflammatio pulmonum. In grandaevis, bronchiis muco infarctis, vique vitae deficiente, nihil quam vomitio lenis plus prodest, mucum copiose excernendo, toti systemati stimulum inferendo, et vim vitalem insinuerter excitando.

Consilio vomitionem plenam ciendi, sub morbi

bi initium, aptissime dari possunt, et protinus post sanguinis missionem cum hac opus est. Vomitioni plenae optime cedet anxietas circa praecordia, et quoque, at non semper, capitis dolor. Cum hoc modo posterior non auferatur, fere semper epispaisticis, pone aures, vel inter scapulas applicatis, levantur.

II. *Vapores aquae calidae inspirati*, huic consilio nonnunquam respondent. Initio morbi, cum signa, quae eorum usum depositulant, plerumque graviora sunt, praesertim autem cum signa cynanches tonsillaris morbum comitantur, in usum revocarentur. Instrumentum, nomine inhalatoris Mudgiani insignitum, huic consilio optime accommodatur.

III. *Diaphoretica*.—Cum hoc in morbo perspiratio semper obstructa evadat, igitur sudor lenis, diathesi phlogistica, magna ex parte, sublata, et primis viis purgatis, si non sponte prorumpit,

arte semper movendus est. Namque hunc morbum perspiratione magis liberali optime finiri, cursus, quem natura sponte sequitur, clare demonstrat. Saepenumero diluentia sufficient ad sudorem ciendum; sed, cum haec votis parum respondent, ad alia huic consilio melius accommodata decurri potest.

Horum efficacissima sunt praeparata ex antimonio, opio, vel tincturae opii adjuncta, et forma pulveris ipecacuanhae compositi praescripta.

Diathesi phlogistica adhuc persistante, diaphoresis tutius promoveri potest, antimonialium uso solo.

Pediluvio etiam et semicupio, quae cutem relaxant, et cursum humorum a partibus superioribus et internis ad artus inferiores faciunt, diaphoresin movere valemus.

Diathesi

Diathesi phlogistica autem manifeste sublata, ad remedia ex opio et antimonio, vel ipecacuanha, composita, cum summo successu haud raro configitur; quorum parvulae doses, partitis vi- cibus, dari possunt, donec sudorem cieant.

Quod vero huic praxi videtur praestare, est largam dosin una vice praescribere. Si aeger adoleverit, granum antimonii tartarizati dimidi- um, cum guttis tinturae opii quadraginta, su- matur, vel scrupulus unus pulveris ipecacuan- hae compositi. Et sudor, cum fluere incipit, usu diluentium liberaliter adhibitorum, est pro- movendus.

Quaedam alia, huic consilio respondendi cau- fa, olim fuerunt adhibita, qualia sunt alkali vo- latile, affafoetida, camphora, gummi ammonia- cum et scillae; sed, judicio nostro, parum ad hunc morbum tollendum conferre videntur. Di- athesi phlogistica vero substante, nocere possunt

alkali

alkali volatile et affafoetida. Si debilitati occurre necesse sit, hoc optime praestabunt vi-
num et jusculum animale. Camphora in usu
frequente apud medicos Antiguenses fuit; sed
spes mihi saepe frustrata est. Idem de gummi
ammoniaco dici potest.

Si unquam scillae profund, vomendo potius,
quam muci secretionem promovendo, commodo
funt, uti Cullenus sagacissimus, quondam prae-
ceptor in medicina, mihi dilectissimus, recte ju-
dicavit.

Tertio consilio potissimum respondent opiate
et demulcentia: Imprimis vero,

Opiata.—In hoc morbo tam irritabiles sunt
partes laborantes, et tussis exinde oriens tam
molesta, ut nihil optabilius esse videtur quam
sensibilitatem earum imminuere, ut per aliquot

horas,

horas, tussi sedata, mucus tenuis, crassior, et magis blandus evadat.

Hoc non minus in votis est, ut aegro obrepatur somnus gratissimus. Hoc melius praestant opiate, pro formulis supra memoratis, data, vel opium solum, nulla diathesi phlogistica substante, sed aliquanto tussis solum, post morbi defensionem, manente.

Quanquam nonnulli periculum non deesse existimaverunt, ne opiate sputum suppressando obessent; hoc fictum potius, quam verum, esse suspicor. Saltem nullum hujuscemodi incommodum ab usu eorum oriri compertus sum. Contra vero, tussim sedando, partes nunc tenerrimas, et muco acri erosas, sanescere sinunt; igitur hanc molestiam aegroto, tam ingratum multum, imminuunt, vel ex toto tollunt.

II. Demulcentium optimum est mucilago gum-

mi Arabici, cui recte additur aliquantulum syrupi communis et acidi vegetabilis, ut gratior reddatur sapor. Hac saepe deliniri debent fauces. Eas ab acrimonia muci defendit, igitur tussim non parum levat.

Huic consilio quoque bene respondet decocatum ocrae, herbae materia glutinosa abundantis, quae in dieta apud Indos multum in usu est.

Oleosa, ad acrimoniam muci obtundendam, minus accommodantur. E contrario, ventriculum perturbando, saepe nocent.

De remediis maxime idoneis in catarrho in India Occidentali epidemicō, jam fatis dictum esse videtur.

Necessarium vero est ad morbos comitantes, vel signa anomala, quoque etiam ad catarrhi epidemicī sequelas, quae medici attentionem haud

raro postulant, animum advertere. Morborum comitantium frequentissimus est pneumonia, cuius accessio valde abnormis est, quae aliquando initio, aliquando ejus decursu, haud raro hunc excipit. Quantum, rebus ita sese habentibus, ad curationem attinet, regimen antiphlogisticum, ut antea posui, stricte adhibendum est. Missio sanguinis quoque magis necessaria evadit, et omnia alia, ad diathesin phlogistica tollendam accommodata, in usum sunt revocanda.

Signis pneumonicis vero, quae hunc morbum consequuntur, missio sanguinis parum convenit, et non sine summa cautela adhibenda est, et quantitate per exigua, cum opus est.

Hepatitis, in hisce insulis Indiae Occidentalis, ubi endemica est, nam in Antigua raro apparet, hunc morbum saepe comitatur, et post decessiōnem ejus quoque manet. In exemplis hujuscemodi, missione sanguinis prius adhibita, cum

successu

successu prosperrimo, curatio hydrargyro absolutur, qui liberaliter et caute dandus est, donec effectum suum edat. Hoc autem recte tribuitur irritationi vel effectui singulari, quem edit.

Nonne ex analogia licet nobis concludere, pneumoniam, et nonnullos alias morbos phlogisticos, in regione calida saltem, hydrargyro depelli posse; et non defunt exempla catarrhi epidemici, quae irritationi mercuriali, uti loquitur Joannes Hunter, chirurgus celeberrimus, felicissime cesserunt; et moerere videtur Chisholmius se hydrargyro, in hoc morbo, non saepius usum esse. Hydrargyrus, diu, ut efficax remedium, in morbis curandis, multis laudibus celebratum est; et inter medicos de modo, quo operetur, acriter fuit disputatum, qui, tamen, ut mihi videtur, non adhuc rite intellectus est. Fortasse morborum curationem absolvit,

imo, Conjunctione cum humoribus nostris,

unde virus, quo, uti in morbo venereo, inquinantur, praecipitari potest, dummodo hydrargyri, quam viri inquinantis, appetentiores sunt.

2do, Morbum sibi proprium gignendo, quod facit ut utiliter adhiberi possit, et in morbis inflammationem habentibus, et in quibusdam spasmodicis.

Quod, utilitate ejus in hepatide, et in tetano, qui omnium morborum, ad quos incolae regionis calidae proclives sunt, maxime formidandus est, probari videtur. Prodest etiam, testante Clarkio Medico Dominicensi claro, in colica saturnina; idem forsan ab usu ejus in aliis colicae speciebus est sperandum. Quoque, ut mihi persuasum est, in cholera, in quo morbo, cum nec per os nec per anum adhiberi possint medicamenta, saltem tutum effet medelam ejus, unguentum ex hydrargyro cuti affricando, perficere conari. Et si forte excitari potuerit irritatio

ritatio mercurialis, haud dubie in tuto foret aegrotus. Calomelas, me judice, diaphoreticis adjunctum, eadem efficaciora, in catarrho epidemicō praecipue, reddere visum est.

Exempla quoque ab auctoribus memorantur, in quibus, aliis remediis hydrargyrum felicissime addiderunt.

Diathesi putrida hunc morbum comitante, ad corticem Peruvianum et alia antiseptica haud dubie decurri debet; at, de modo ea adhibendi optimo, nihil ex experientia didici.

De sequelis hujus morbi, quae, ut supra memoratur, aliquando medici attentionem postulant, nunc breviter dicendum est. Inter has, haud immerito enumerari debet tussis molesta, postquam alia deceperunt signa morbi, manens. Haec idonee emeticis, quae sanguinis circui-

tum

tum magis aequabilem reddunt, demulcentibus,
et opiatibus, hora somni sumendis, depelli potest.


Debilitas insignis accessionem hujus morbi
faepe denotat; ejusdem gravioris, vero, semper
sequela est.


Hanc debilitatem, nonnullis in exemplis, co-
mitatur anasarca pedum et crurum; aliquando
autem, quod multo periculosius est, expectora-
tio admodum copiosa, quae, non sublata vel im-
minuta, aegrotum miserrimum tandem confice-
ret. Remedia, quae viribus restituendis maxi-
me accommodari videntur, sunt diaeta lautior,
vestimenta calidiora, exercitatio modica, navi-
gatio, et, nisi quaedam congestio vetat, cortex
Peruvianus, opiate, et forfitan lavatio frigida.

Aliquando hunc morbum consequuntur fe-
bres intermitentes, quae plerumque tamen cor-
tice Peruviano feliciter depelli solent.

Phthisis pulmonalis, quantum ipse vidi, vel ab aliis audivi, catarrhum epidemicum nunquam excipit; igitur de illa, inter sequelas, hoc in loco, differere minime idoneum foret.

Hoc opuscolo, pro virili, ad finem perducto, restat tantum, ut Praeceptoribus meis dignissimis, propter quot et qualia ab eis accepi comoda, gratias sincerissimas agam. At seorsim **DANIELI RUTHERFOORD**, M. D. cuius amicitiam, a memoria nunquam obliterandam, hanc occasionem palam agnoscendi, lubenter arripi. Nec non **ANDREÆ DUNCAN**, M. D. propter beneficia in me, libera manu olim collata, quae posthac recordari me semper juvabit. Denique, Dom. **THOMÆ ANDERSON**, apud Selkirk Chirurgo, primo in medicina praceptor meo, viro omnibus dilecto, ob curam benignam, qua me, dum, primum, arti salutiferae, sub ejus auspiciis, tyrocinium posui, nunquam non prosecutus est.





DRÖCKEHALVE ACHT